THESES EX UNIVERSA THEOLOGIA DEPROMPTÆ QUAS AD...

Angelo Rosselli

THESES

EX

UNIVERSA THEOLOGIA

DEPROMPTAE

QUAS

AD LAUREAM THEOLOGICAM

OBTINENDAM

IN PERVETUSTA AC CELEBERRIMA

C. R. PATAVINA SCIENTIARUM UNIVERSITATE

PUBLICE DEFENDENDAS SUSCIPIT

ANGELUS RUBELLI

VENETUS

IN PATRIARCHALI GYMNASIO STUDIORUM PRAEFECTUS

VIII. IDUS AUGUSTI AN. MDCCCXXXVII.

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXVII.

CUM ADPROB. EPISC.

EMINENTISSIMO · AC · REVERENDISSIMO

IACOBO · MONICO

S · R · E · CARDINALI

VENETIARVM · PATRIARCHAE

DALMATIAE · PRIMATI

DIOECESIVM · VENETARVM · METROPOLITAE

A · SVPREMIS · DIGNITATIBVS

REGNI · LONGOBARDI · VENETI · CAPPELLANO

S · C · R · A · MAIEST · INTIMO · STATVS · CONSILIARIO

etc. etc. etc.

ANGELVS · RVBELLI

D · D · D ·

EX HISTORIA ECCLESIASTICA

I. Celerrima christianae Religionis propagatio vel ex ipsa Martyrum constantia in perferendis inauditis cruciatibus pro tuenda fide repeti potest.

II. Saevientes ethnicorum persecutiones, et recens memoria doctrinae et traditionis Apostolorum animis fidelium altius impressa in causa fuerunt cur Generalia Concilia secundo Ecclesiae saeculo celebrata non fuerint.

III. Synodus Trullana Quini-sexta Constantinopoli a Justiniano imperatore convocata, quam Sergius Papa primus appellat *erraticam*, non est habenda Oecumenica.

IV. Depositio Eugenii IV facta in Concilio Basileensi fuit illegitima et nulla, et Concilium ex eo tempore non amplius fuit Oecumenicum.

V. Patres in Concilio Ariminensi incaute quidem formulae sibi ab Arianis oblatae sub-

scribentes, fidei Nicaenae tamen constanter adhaeserunt.

VI. Stephanus Romanus Pontifex rebaptizantium errorem damnando, baptismum ab haereticis vitiata forma collatum non approbavit.

VII. S. Leo per Legatos Synodo Chalcedonensi praefuit.

EX ARCHAEOLOGIA BIBLICA

I. Daemones et daemonia fuisse nonnisi vita functorum animas, non potest ex Justino martyre, multoque minus ex Tatiano ipsius discipulo, comprobari.

II. Exercitus Sennacheribi (2. Reg. 19. 35.), cujus brevi temporis intervallo periere 185,000 militum per Angelum immissum in castra, dira probabiliter peste, ut Flavius autumat, Deo id efficiente, perculsus fuit.

III. Impedimenta matrimonii dirimentia statuebantur quaedam in veteri quoque Lege pro bono familiarum, pro bono societatis, pro causa Religionis.

IV. Immunditiae tum a sacris, tum vero ab hominum consuetudine removentes, ad contagium, vel ad hujus periculum cautionemve adhibendam, vel demum ad abominabilia, pertinebant.

V. Esseni propterea templum hierosolymitanum haud frequentabant, quia victimas animalium, seu cruenta sacrificia, damnabant.

EX INTRODUCTIONE IN LIBROS SS. VET. FOEDERIS

I. Pro libris quoque Vet. Foed. historicis divina inspiratio est necessaria.

II. Studium Hebraicae et Chaldaicae linguae, in utraque enim extant Libri sacri V. T., omnibus aliis praemittatur subsidiis ad intelligendum probe usum loquendi.

III. Ut de numero codicum non tantum, verum etiam de testium gravitate feratur judicium, ad codicum familias attendere animum oportebit.

IV. Auctoritas canonica libri Sapientiae satis adparet ex *colludentibus* cum eadem innumeris N. T. locis, quamquam adsit ad eam omnino probandam antiquitatis et Ecclesiae Graecae atque Latinae testimonium firmissimum.

EX HERMENEUTICA BIBLICA

I. Quisquis ad Scripturarum interpretationem accedit sana critica instructus sit oportet, ut seipsum et alios verum illarum sensum edoceat.

II. Scriptura, quam heterodoxi perspicuam et intellectu facilem volunt, quoad literalem sensum, qui praecipuus est, saepissime obscura evadit.

III. Locutiones emphaticae summa cum prudentia ex rerum adjunctis et objecto aestimandae ac dimetiendae sunt.

IV. Antiqui ritus cum sacri tum profani, quibus alludit Scriptura, merito inter fontes criticos, qui emphasium cognitionem subministrant, ab Hermeneuticae scriptoribus recensentur.

V. Inter externa Hermeneuticae biblicae subsidia principem obtinet locum originarius Scripturae textus, cujus usus plurimum commodi ac fructus ad sensum arripiendum affert.

EX INTRODUCTIONE IN LIBROS SS. NOVI FOEDERIS

I. Ad comprobandam Librorum N. T. authenticitatem conferunt etiam Haereticorum, Judaeorum et Gentilium testimonia.

II. Divulgata codicum multitudo N. T. integritatem tuetur.

III. Omnes et singulae sacrorum Librorum partes divina inspiratione conscriptae fuerunt.

IV. Veritatem historicam Librorum Novi Foederis historiae quoque profanae confirmant.

EX JURE ECCLESIASTICO

I. Summa potestas Ecclesiastica residet penes Episcoporum collegium cum ipso Pontifice Summo conjunctum atque consentiens.

II. Canones *Disciplinares* consensu Ecclesiae dispersae confirmati aeque omnes Fideles obligant, ac si in Generali Concilio conditi fuissent.

III. Regunt Episcopi Dioeceses suas jure proprio et ordinario.

IV. Ecclesia et Civitas mutuo sibi sunt praesidio et adjumento.

V. Lex Ecclesiae, qua Clerici majoribus insigniti ordinibus continentiam servare debent, non dissentit a jure naturali, neque humanae societati adversatur.

VI. In omnibus quae sunt spiritualia Ecclesia ita libero utitur jure, ut a nulla alia pendeat potestate.

VII. Matrimonia a liberis utriusque sexus sine parentum assensu contracta secundum Tridentini Concilii decretum, quamvis illicita, valida tamen habentur.

VIII. Fundatio sacra legitime facta inducit obligationem justitiae.

EX ETHICA CHRISTIANA

I. Peccata ex infirmitate, ceteris paribus, sunt graviora peccatis ignorantiae.

II. Levia peccata, quamvis plurima sint cujuscumque speciei ac generis, numquam coalescunt ita, ut per se mortalem labem constituant, nisi accedat aliqua gravis circumstantia.

III. Qui repugnante conscientia actionem instituit vel praetermittit, quantum in ipso est, legem spernit atque Deo adversatur.

IV. Virtutes, quibus Deus colitur, non internis tantum, sed externis etiam viribus homini exercendae sunt.

V. Quae sunt de necessitate salutis, omitti non debent propter scandalum vitandum.

VI. Bona ad vitam nobis necessaria, ceteris paribus, ne ad extremam quidem aliorum necessitatem levandam impendere jubemur.

VII. Ea est intrinseca mendacii proprie talis turpitudo, ut numquam licitum defendi possit.

VIII. Usura iniqua repugnat tum beneficentiae, quae charitate imperatur, tum justitiae, quae alios in fortunae bonis laedere prohibet.

EX DOGMATICA THEOLOGIA

I. Dei natura una est in se et simplicissima, in ea tamen, prout a nobis cognoscitur, plures distinguuntur conceptus.

II. Sancti in caelo inaequali gradu beatifica Dei visione fruuntur.

III. Jesus Christus secundum humanam naturam nullo modo appellandus est Dei Filius adoptivus, ut Felix et Elipandus sensu Nestoriano docuerunt.

IV. Personarum Trinitas in divinae essentiae unitate naturali ratione minime potest demonstrari.

V. Hominum praedestinatio a libera Dei pendet voluntate, et nemo sine speciali ipsius revelatione in hac vita de sua praedestinatione certus esse potest.

VI. Gratiae dona vario ac inaequali modo a Deo distribuuntur.

VII. Deus nulli homini adulto, sive Fideli obduratae etiam nequitiae, sive Infideli omnem denegat sufficientem gratiam, qua possit ad Deum converti, in lucem veritatis adduci, et ad aeternam salutem per bona opera pervenire.

EX THEOLOGIA PASTORALI

I. Parochorum institutio, quatenus ipsi Sacerdotes sunt, a jure divino; quoad vero officiorum exercitium ab Episcopis et ab Ecclesia pendet.

II. Parochi debent ipsi per se, quantum possunt, pastoralia munera obire.

III. Charitatis studio et sollicitudine cum aegrotis et morti proximis se gerant oportet.

IV. Omnibus diebus Dominicis et Festis de praecepto sacrificium Missae pro populo offerre tenentur.

V. Primum et praecipuum inter agenda est Sacramentorum administratio.

VI. Dum cultui externo provident Pastores, caveant omni cura ne ab interno sejungatur.

VII. Illorum vita debet esse christianae virtutis exemplar.